DE INFANTES LACTANDI PER NUTRICES INJURIA ET NOXIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Theophilus Ernestus Hothorn

ERMSLEBIENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. ab ECKENBRECHER, Dr. phil. et med., et chir. med. pract.

O. GRUENDLER, med. et chir. Dd.

C. HOBURG, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS B. SCHLESINGER.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS, DOCTISSIMIS, HUMANISSIMIS

LUDOVICO BOEHM

MED. ET CHIR. DR., MEDICO PRACTICO APUD BEROLINENSES, RROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA ET ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE IN QUARTA CLASSE EQUITI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI MEMBRO ETC.

ET

HEIMBERTO IHLEFELD

GYMNASII QUEDLINBURGENSIS PROFESSORI ET PRORECTORI

AUCTOR.

Levitas illa iniquissima, qua et nostris temporibus contra naturam et temere infantes a matrum uberibus deripiuntur atque saepissime sine idonea causa nutricibus traduntur, efficit, ut hanc rem ea ratione tractemus, quam Jos. Herm. Schmidt, praeceptor summopere colendus, secutus de arte obstetricia et institutis, quae nostri aevi humanitate ad sublevandam miseriam fiunt, disserere et discipulorum animos attendere solet. Humanitatis igitur praecepta intuentes id, quod propositum est, considerabimus et breviter explicabimus, quae quantaque incommoda ex perverso illo more oriantur.

Forsitan mirum videri possit, si inhumanum esse dicamus, infantes temere ac sine idonea causa nutricibus tradere, nihilosecius autem hoc sine magna difficultate demonstrari posse affirmamus.

Nonne inhumanum est, misero inopique nutricis

mranti eripere nutrimentum ei a benigna natura datum et conciliare infanti diviti, cujus mater ipsa posset prolem lactare, nisi laboris fuga aut rerum vanarum amore et nimia consuetudinis trádita cura prohiberetur, quominus materno officio satisfaceret. — Licet vero dives quaedam mater prolem suis ipsius uberibus nutrire nequeat, quonam jure ei licet, alium infantem materno lacte privare? — Quia lac emit, inquiet aliquis! At profecto perridiculum est, mercedem nutrici datam pro pretio lactis habere. Nutrix enim lac non pro se, sed pro infante suo a natura accepit, neque igitur ei per jus et rationem licet, illud naturae donum venundare, aeque ac patri ulli aut matri nullo modo permissum est, rem quampiam iis pro ipsorum infantibus ab alio traditam in usum suum convertere et profundere.

Aliorum quidem bonorum curatores tutoresque infantibus instituuntur, illud vero bonum, quo amisso alia omnia inutilia fiunt omnique pretio privantur, nutrimentum idoneum, lac matris miseris infantibus saepissime deripi, leges non vetuerunt!

Gravissimo autem dolore generis humani amicum

levitas multorum nostri aevi divitum eorumque temeritas vel durities afficiunt, qui miseris infantibus, quorum matribus nutricibus utuntur, tam leviter lac maternum simulque bonam valetudinem et mehercle haud raro vitam auferunt, quamquam illi ipsi res familiares tam sacrosanctas haberi volunt. Haud profecto intelligere videntur, quantopere ipsi sibi dissentiant, qui novissimi temporis rationem, quam dicunt communismum, hoc spectantem, ut ii, qui nimia bona possideant, partem eorum relinquant iis, qui nihil habeant, quam maxime condemnant et detestantur, nihilo minus tamen miseris pauperibus, qui se ipsos defendere nequeunt atque vix necessaria possident, haec eripiunt atque in usum suum convertunt. Tanta est propriae utilitatis cupiditas!

Nos mehercle communismum nullo modo defendere volumus, quo miserias generis humani levari negamus, sed tanto magis circumversionem ejus laudare fugimus, quae continetur suarum rerum praeter modum studiosorum principio: Vos date omnia, ut nos omnia habeamus! Nam dum hoc principium defenditur eoque multi utuntur, numquam neque ullo modo communis-

mus deleri potest, cui ipso illo principio eoque solo necessitas aliqua interna tribuitur. Qui igitur communismum odit et delere cupit, ante omnia illi avaritiae obviam eat, ut communismo id detrahatur, quo maxime nititur, scilicet ratio opposita.

Facile autem fieri possit, ut, qui sententiam supra propositam falsam habent, aut certe factis demonstrandam esse negant, haecce opponant, infantem nutricis alii feminae curandum tradi, quare bona ejus valetudo ac vita nulli submittatur periculo. —

Qui his argumentis adhuc acquieverunt, miserabilem infantum sortem, quorum matres factae sunt nutrices, amplius rimentur et cognoscant, eos a matribus tradi curatricibus, quae quidem mercedulam accipiunt et hoc officio rarissime humanitate, sed saepissime lucri cupiditate vel egestate ductae perfunguntur, a quibus infantes miseri non modo male nutriuntur curanturque, sed etiam lamentantes nimis aspere tractantur. Miseros ex illis nutricum infantibus parvulos intueantur, qui quotidie ad instituta policlinica Berolinensia feruntur, ut ars medica corrigat, quod inhumanitas

aliorum peccaverit, quod quidem raro atque difficillime confici potest.

Ita quidem eos non negaturos puto, me modum servasse, si damnum ex hodierna consuetudine nutrices habendi ortum aequare contendam homicidium negligentia commissum. Numne est magna de vita hominum securitas, quum constet, ex nutricum infantibus numerum duplo majorem quam inter alios praematura morte abripi.

Inter infantes centum a nutricibus aliis ad curandum traditos Berolini primo vitae anno quinquaginta sex emoriuntur, ut Minister regius interiorum partium de Rochow computatione docuit (1), dum in universum ex totidem infantibus viginti septem tantum moriuntur (2), quo numero illi nutricum infantes jam continentur. Quid quod Jos. Herm. Schmidt iis, quae munere physici in Guestphalia fungens expertus sit, eo se inductum esse dicit, ut putet, ex computatio-

---

(1) Jos. Her. Schmidt, Vorträge über Geburtshilfe. Wintersemester 1849—1850.

(2) Casper, Beiträge zur Statistik, II. Band. Berlin 1835. §. 97.

bus per totum regnum accurate institutis colligi posse, inter centenos infantes nutricum aliis feminis traditos vix novem superare decimum vitae annum (1).

Hoc quidem constat, paucos tantum vel paucissimos illorum infantum virilem aetatem assequi; quibus vero contigit, inire hanc aetatem, eorum puto minimam partem ob primae juventutis miserias prospera valetudine gaudere, quamvis hoc computatione, quae dicitur statistica, demonstrari nequeat.

Haec mortis potestas major in nutricum quam in omnes alios infantes saepissime tolleretur, si humanitatis praecepta valerent, si lex imperaret, ut mater, quae infantem suum non ipsa, sed per nutricem lactare vellet, simul nutricis infantem curae haberet et aut pateretur, utrumque infantem nutrice lactari, aut nutricis infantem suis sumtibus sustentandum curaret lacte animalium. Ita quidem pauper nutricis infans certe particeps fit maternae curae et munditiae et matris lac mutat alio idoneo nutrimento, aut partem tantum materni lactis amittit, sed id sine ullo damno cum altero

---

(1) Jos. Herm. Schmidt. Hundert Aphorismen über humanes Leben. Paderborn in Commission bei Cruevell 1841.

infante partitur, quum nutrix meliori cibo, qui ampliorem lactis modum procreat (1) sustentata duos liberos simul nutrire possit. Nec vero dives infans, nutricis cura divisa, quidquam desiderat; nutrix enim, cui licet non solum alienum, sed simul suum ipsius infantem fovere in sinu, tanto majori studio atque amore utriusque infantis impletur; accedit, quod illa honestioribus indulgebit moribus ac placidior facta officio suo multo magis satisfaciet, quam quae conscientiae maternae opprobria vagis libidinibus sopire studet, quae lactantis infantis valetudinem minime adjuvant.

Haec sufficiant, ut probetur, consuetudinem nutrices habendi ex principiis humanitatis coercendam vel certe mutandam esse. Utinam certae leges mox pauperes et desertos infantes, quorum matres officia susceperint, valide et comiter tueantur. At leges, quae opinionibus praejudicatis, consuetudine inveteratae, nimiae vanitati obsistant, difficiles sunt ad constituendum et perlatu etiam difficiliores.

---

(1) Fr. Simon, Die Frauenmilch nach ihrem chemischen und physiologischen Verhalten. Berlin 1838. §. 80.

Sed qui humanitatem non sequuntur atque ipsas leges, si quae extarent, offenderent, eos puto fortasse suo ipsorum emolumento obedire. Atque re vera matres, quae nutrices adhibent, et sibi ipsis noxas parant et infantibus suis, quorum prospera vita arctissime conjuncta est cum matrum bona valetudine.

Jam vero priusquam enumerem, quanta incommoda infans, qui nutrice lactetur ejusque mater experiantur, liceat Favorini (1), veteris philosophi, sententiam laudare de ratione, qua infans nutrice lactatus cum matre sua conjunctus sit. Ille quidem, postquam explicavit, quae noxae et animo et corpori infantis nutrice lactati oriantur, haecce addit: „Quae partus suos deserunt ablegantque a sese, et aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt aut certe quidem diluunt deteruntque. Nam ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternae flagrantiae sensim atque paulatim restinguitur, omnis impatientissimae sollicitudinis strepitus consilescit, ne-

---

(1) Auli Gellii noctes Atticae ed. Gronovii. Lugdun. Batavor. 1706. Lib. XII. cap. I.

que multo minor amendati ad nutricem aliam filii, quam morte amissi oblivio est, ipsiusque quoque infantis affectio, animi, amoris, consuetudinis, in ea sola, unde alitur, occupatur, et perinde, ut in expositis usu venit, matris, quae genuit neque sensum ullum neque desiderium capit, ac propterea obliteratis et abolitis nativae pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed civilis et opinabilis."

Multa saecula post hoc dictum praeterlapsa sunt, sed consuetudo nutrices habendi non est deleta, ex qua tot tantaque matris et infantis detrimenta oriuntur et quam temeraria modo causae conservant.

Multae anxiae matres, quae nutrice utuntur, se ipsas putant, imbecilliores esse, quam ut infantem nutriant, quae opinio etiam a multis medicis defenditur et fortasse per hos tantum promulgata est. Sed vel tenerrimis et infirmissimis muliebribus non deest, quo infantem nutriant (1). Quaelibet omnino mater, quae

(1) Burdach, Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. III. Band 7. Buch.

infantem suum complures hebdomades alvo gestare et sustentare potuit, tam valida est, ut infantem partu editum aliquamdiu etiam in sinu foveat (1). Mater quoque saepissime lactatione non modo non defatigatur, sed etiam convalescit, nam organismo muliebri necessaria facultas formandi a natura tributa est, neque ei inter lactandum sanguis menstruatione deripitur.

Medici quidem et matres numquam obliviscantur, in organismo muliebri valetudinem et actionem uteri, gravissimi mulieris membri, a valetudine et actione mammarum maxime pendere, quae actio numquam sine magna necessitate poprimenda sit. Organismus mulieber per facultatem formandi plura procreat, quam quae opus sint, ut ipse conservetur. Duo ei sunt organa gignendi, mutua actione inter se conjuncta, uterus et mammae. Quorum si alterum in valida et matura muliere opprimitur, actio alterius augetur, altera alterius quasi vicem subit. Mulieres, quae non ipsae lactant, fere quatuor aut sex hebdomadibus post par-

---

(2) Luc. Jo. Boër, Sieben Bücher über natürliche Geburtshilfe. Wien 1834. §. 303.

tum recipiunt menstruationem (1) simulque novam concipiendi potentiam, quum lactantibus feminis menstruatio vel uteri actio demum infante ablactato redeat. In his uteri organa, quia per complures menses quiescunt, roborantur, contra in feminis, quibus haec quies deest, actio uteri laboribus celeriter se excipientibus defatigati infirma est atque aegra, unde non raro abortus fiunt, aut certe infantes imbecilli et aegri nascuntur. Hoc quidem multi medici eximia auctoritate testantur (2). Matres partubus crebris ac celeriter se excipientibus infirmari, per se apparet.

Praeterea vero eae, quae suos infantes non ipsae lactaverant, variis doloribus afficiuntur, et maxime quidem capite laborant, unde crines mature perdunt, et provectiori aetate saepe indurationes in earum mam-

---

(1) **Burdach.** l. c.

(2) **Burdach** l. c.

Casper, Beiträge zur Statistik I. Bd. §. 184. ss.

Jos. Herm. Schmidt, tausend Aphorismen über die Geburt des Menschen No. 964.

Idem, Lehrbuch der Geburtskunde für die Hebammen des Preussischen Staates Berlin 1840. §. 356.

Anton Fr. Hohl, Vorträge über die Geburt des Menschen. Halle 1845. §. 30.

mis oriuntur (1). Nec multae aliae molestiae atque aegritudines desunt earum matrum, quae a lactatione abstinent et ea de causa justo celerius pariunt. Mature enim albescunt, uteri variis doloribus laborant et senectus iis celeriter imminet (2), imprimis vero vergunt ad hysteriam (3), quae non modo ipsis mulieribus, sed etiam earum medicis, qui non vetuerunt nutricem adhiberi, neque hoc malum prohibuerunt, summas molestias praebet, quum saepius ad veram animi aegritudinem progrediatur (4).

At non solum mater, quae nutrice utitur ejusque sera progenies dammis afficitur, sed etiam ipse infans nutrici traditus. Quod optime Benoiston de Chateauneuf (5) testatur, qui factum confirmavit, Parisiis centum infantum ab ipsis matribus lactatorum primo vitae anno duodeviginti, contra ex pari numero eorum,

---

(1) Burdach l. c.

(2) Herm. Fried. Kilian, die Geburtslehre von Seiten der Wissenschaft und Kunst. Frankf. a. M. 1847. I. Bd. §. 396 sq.

(3) Canstatt, medicinische Klinik III. Bd. I. Abth. §. 491.

(4) Casper, Vorträge über gerichtliche Medicin. Sommersemester 1849.

Kilian. l. c.

(5) Consideration sur les enfans trouvés. Paris 1824. §. 57.

qui nutricibus traditi erant, viginti novem mortuos esse. Iam vero si ipsa vita infantum pericula ducit a nutricum sustentatione, quanto magis eorum valetudo! Quod ut certius experiremur, opus esset, utrorumque infantum et materno et alieno ubere nutritorum valetudinem per majorem vitae partem persequi et observare, qua de re nullas computationes statisticas in promtu esse dolemus, sed quae medici attento in hoc animo experti sunt, condemnant consuetudinem nutrices habendi. Ita Jos. Herm. Schmidt (1) in instituto Guestphaliae, ubi infantes muliebris sexus educantur, invenit complures puellas superiorum ordinum easque a nutricibus sustentatas columnae vertebralis curvaturis laborare. Quod malum quam perniciosum sit mulieribus earumque liberis, nemo non videt.

Quomodo vero liberis e nutricis uberibus pericula emanent, facile est explicatu, et hodierna physiologia confirmat veterem illam Avicennae sententiam: „omnibus modis quibus est possibile, lac matris infanti ad sugendum dandum est: ipsum enim est nutriens, quod

(1) Vorträge über Geburtshilfe. Wintersemester 1849—1850.

magis simile exsistit substantiae nutrientium praeteritorum, quibus alebatur dum in ventre erat. (1)." Lac matris inde ab ipso partu substantiam suam tam saepe mutat et ad infantis naturam accommodat, ut huic simul cum materno lacte idoneum et sanum nutrimentum eripiatur. Nutrix enim, quae multo prius peperit quam mater, cujus officia suscipit, et puerperii tempus jam superavit, infantem modo natum lacte pascit non ita composito, ut tenerum illius corpus postulat. Infans a matris ubere prorsus detentus, (quod medici iis, quae non ipsae lactare volunt, suadent) (2) primo lacte, quod colostrum dicimus, caret, quod salium et sacchari magnam copiam continens id maxime efficit, ut tractus intestinalis purgetur, bilis secernatur et ossa infantis modo nati nondum indurata roborentur; perdifficile vero est, aut omnino non potest fieri, ut haec colostri vis alia via sufficienter sarciatur. Post puerpe-

---

(1) Avicennae Canon medicinae. Venet. 1595. Lib. I. fen 3 doctr. I. cap. 2.

(2) **Busch**, das Geschlechtsleben des Weibes in physiologischer, pathologischer, und therapeutischer Hinsicht. Leipzig 1839. I. Bd. §. 495.

rium autem in lacte sacchari copia minuitur et caseïni augetur. Quamobrem infans modo natus a nutrice lac accipit nutriens quidem, sed nimis grave et ea de causa noxium (1), unde serius ocius multi morbi oriuntur.

Jam si omittamus pericula illa cum nutricum lactatione necessario conjuncta, multae aliae noxae saepissime hauriuntur et ipsae difficiles vitatu. Hae quidem et ex nutricum temeritate et ex clandestinis earum morbis exsistunt, qui ad infantes transeunt. Rarissime licet judicare, nutricem aliquam omnino sanam esse, praecipue in iis urbibus, ubi pristina ejus vita fere ignoratur. Quam saepe nutrix alienum infantem offert, ut optima ejus valetudine se commendet! Vel peritissimum medicum latere potest periculosa dyscrasia, e. g. syphilis, quae in nutrice clam quiescit et ad infantem transit, nec raro ei mortem infert. Videas de nutricum variis ac perniciosissimis fraudibus quae scripserunt Strack (2), Frank (3), Cas-

(1) Fr. Simon, die Frauenmilch etc. §. 57.

(2) De fraudibus conductarum nutricum. Francofurti a. M. 1779.

(3) Abhandlung über eine gesunde Kindererziehung. Leipzig 1794 et System der medicinischen Polizei II. Abth. 2. Abschnitt.

per (1), Mayer (2). Itaque summo jure Mayer (3) contendit, infantes materno lacte carentes vaccino nutriendos esse; hoc enim saccharo lactis mixtum et aqua dilutum ad varias lactationis periodos aptari et matris lacti simile fieri potest, quare multa pericula, qua a nutricis mammis exsistunt, ab infante arcentur; ita ut, licet ipsa non possit lactare, tamen nutrix temere atque injuste adhibeatur.

Ad noxas supra allatas, quas consuetudo nutrices habendi potius singulis hominibus infert, quam rei publicae, etiam aliae accedunt, quae imprimis hanc tangunt. Quarum in numero est partuum non legitimo conjugio ortorum amplificatio. Nam, ut Casper et Mayer contendunt, nutricum jucunda conditio et vita non raro leves puellas invitat, ut quam primum concipiant et illius vitae participes fiant.

Partus illegitimi vero in universum rei publicae detrimento erunt, nam liberi extra matrimonium nati,

---

[1] Beiträge zur medicinischen Statistik. I. Bd. §. 185 sq.

[2] Ueber künstliche Ernährung der neugebornen Kinder, in den Verhandlungen der Gesellschaft für Geburtshilfe in Berlin I. Jahrgang.

[3] L. C.

quos servari raro interest matrum, maximam partem negliguntur, quin etiam saepe neci deliberatae sed leges fugienti traduntur, ut Lichtenstädt (1) verissime adnotavit; pauci tantum eorum, secundum Casper (2) vix pars nona, juventutem transgrediuntur, plurimi in pueritia diem supremum obeunt, non profuerunt igitur rei publicae, sed sumtus ei attulerant, qui quamvis singulatim minimi momenti sint, tamen multitudine molesti fiunt. Praeterea vero mores quoque liberorum illegitimorum adeo negliguntur, ut paucissimi tantum, etiamsi idoneam aetatem nanciscantur, rem publicam juvare possint. Non mirum igitur, qui in carceribus Berolini gravium delictorum poenas luunt, maximam partem extra matrimonium ortos esse (3).

Haec quidem argumenta sufficere puto, ut consuetudini nutrices habendi undique maxima vi repugnetur.

---

(1) Ueber die Ursachen der grossen Sterblichkeit der Kinder des ersten Lebensjahres. Petersburg 1837. § 61 sq.

(2) Beiträge zur medicinischen Statistik I. Bd. §. 167.

(3) Idem l. c.

VITA.

Natus sum ego, Theophilus Ernestus Hothorn, d. V. m. Aprilis a. h. s. XXII Ermslebiae, oppidulo sub saltus Hercyniae radicibus sito, patre Joanne Andrea, jamjam defuncto, matre Sophia e gente Gloger, quam Deus O. M. benignus mihi adhuc vivam servavit servetque in posterum.

Quatuordecim annorum puer, postquam decem per annos scholam patriae urbis elementarem frequentavi et sacris religionis Christianae evangelicae initiatus sum,

patris opificium, ephippia et equorum juga et carpenta fabricandi, tres per annos discebam et tres per annos et dimidium patrem adjuvabam. Quo facto apud animum statui, litteris et optimis disciplinis studere, et vix per menses institutione privata a rectore Godofredo Toermer, nunc verbi divini ministro in patria, atque Dr. Adolpho Trotha, amico carissimo, praeparatus gymnasium Quedlinburgense adii, quod etiamnunc sub auspiciis Cel. directoris Francisci Richter floret, ibique tres per annos et dimidium humanioribus litteris operam dedi. Omnibus illius temporis praeceptoribus gratias quam maximas ago ac semper agam. Testimonio maturitatis impetrato, in Institutum Friderico-Guilelmianum regium medico-chirurgicum mense Octobri a. h. s. XLVI receptus sum et per quadriennium hisce interfui scholis;

Exp. Ascherson de toxicologia; Cel. Boehm de akiurgia, de ophthalmologia; Ill. Casper de me-

dicina forensi et de arte formulas medicas rite concinnandi; Ill. Dove de physice et meteorologia; Exp. Ebert de infantum morbis; Beat. Eck de physiologia, de therapia generali, de semiotice; Exp. Elsholz de tironum invalidorumque militum examine; Beat. Hecker de encyclopaedia medica, de psychologia, de Celsi libris, de pathologia generali, de medicinae historia; Beat. Horn de morbis psychicis; Ill. Juengken de chirurgia et de laesionibus; Ill. Langenbeck de morbis ossium; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Link de botanice, de historia naturali, de physiologia generali, de cryptogamis; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, de anatomia comparata et pathologica, de physiologia universa et generationis; Ill. Mitscherlich sen. de chemia et anorganica et organica, de pharmacia; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica et medicamentis excitantibus; Cel. Preuss de historia Borussica; Ill. Ritter de ethno-

graphia Asiae; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Schlemm de osteologia, de splanchnologia, de syndesmologia; Cel. Schmidt de arte obstetritia et de institutis, quae nostri aevi humanitate ad sublevandam miseriam fiunt; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Schultz de botanice; Exp. Simon de morbis syphiliticis; Cel. Troschel de arte fascias rite applicandi, de fracturis et luxationibus; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Werder de logice et psychologia.

Artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Romberg, Ill. Schoenlein, Cel. Wolff; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken et Ill. Langenbeck; obstetriciis Cel. Schmidt; morborum syphiliticorum Exp. Simon; diagnosticae chirurgicae Cel. Boehm, qui simul in operationibus in corporibus mortuis exer-

cendis dux mihi fuit; medico-forensibus exercitationibus Ill. Casper.

Scholis privatissimis Cel. Lindes de analysi chemica interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago ac semper agam.

Jam vero tentaminibus, quam philosophico, tam medico, atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Icterus recens natorum non est morbus.

2. Nullum remedium certum abortivum est praeter ovi membranarum ruptionem.

3. Sarcoptes scabiei generat scabiem, non nascitur ex scabie.

4. Medico vivum infantem perforare vel conscindere non licet.